



## **Crisis Theologica**

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,  
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi  
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

**Casnedi, Carlo Antonio**

**Ulyssipone, 1711**

Sectio Tertia. Sequens minùs probabilem sequitur dictamen conscientiæ  
dubium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

N. 154. Concludo, quòd licet verum putem opus legi Dei non cognita oppositum, esse peccatum materiale, nullas tamen puto rationes Palanci *qu. 28. a n. 116.* quibus impugnat P. Terillum *qu. 31. n. 5. & 11.* negantem esse peccatum materiale, quia lex non cognita non obligat. En rationes 1. quia conscientia erit erronea, ut supponitur; & non erit, quia verum est, quòd liceat mendacium cognitum ut licitum: 2. nemo patienter audiet, quòd Deus per tale mendacium non offendatur materialiter: 3. si lex non ligat, nisi cognita, erit in manu parentum, & Pastorum facere, ne Fideles, & filij ullà lege obligentur, immò erit in manu TT. facere homines sine lege, & omnia licita. Sed contra; quia licet doctrina P. Terilli necessaria non sit, ut sequi liceat minus probabilem; si ve enim peccetur materialiter contra legem, si ve non, perinde est; non minus ac perinde est, ut liceat probabilior falsa in re, si ve eam sequens peccet materialiter, si ve non. Re vera tamen rationes allate nil contra P. Terillum concludunt. Dicit enim ad 1. quòd nulla detur in Deo lex vetans mendacium, si ve cognoscatur, si ve non; sed quòd detur tantum in Deo lex vetans mendacium cognitum. Ad 2. dicit, quòd omnis negans dari in Deo talem legem, nisi in actu primo, patienter hoc auditurus sit; potest enim considerari lex in actu primo, seu ut non obligans ob defectum conditionis necessariae, ex. gr. quia deest conditio legis, vel subiectum, cui ea fit, vel materiæ possibilitas, quæ si desint, nulla datur lex in actu secundo, seu actu obligans. Ad 3. dicit hoc urgere contra Palancum, à quo quæret, an TT. possint cuique opinioni dare probabilioritatem, & facere omnia probabilius licita.

SECTIO III.

*Sequens minus probabilem sequitur dictamen conscientia dubium.*

§. I.

*Quia probabilis non est certa.*

SUMMARIUM.

*M. Baro ait, quòd cum dictamen conscientia debeat esse certum, opinio probabilis satis non sit. n. 157.*  
*Ab omnibus solvendum, & assignandum qualis sit hæc certitudo, & unde sumenda, n. 159.*  
*Ait repugnare, ut iudicium certò prudens sit à præmissis probabilibus, n. 160.*  
*Ab eo solvendum, n. 161. 162.*  
*Opinio certò probabilis est à præmissis certis, ibid.*

Tom. II.

*Negat cum Fagnano satis esse certum de probabilitate iudicium, n. 163.*  
*Ab illis solvendum, ibid. & 164.*  
*P. Eliz. negat per probabilem, si falsa sit, applicari veram Dei legem; & nititur paritate horologij, n. 165.*  
*Ab eo solvendum, n. 166.*  
*Probabilis falsa applicat reflexam Dei legem, ibid.*  
*DD. tuentes, & negantes, quòd due probabiles se habeant ut duo horologia, n. 167.*  
*Non se habent, sed ut duo testes oppositi, ibid.*  
*Ait quòd propria cuiusque opinio erit regula, & imponit nobis plura falsa, n. 168. 169.*  
*Est principium Ethica, quòd idiota stare debeat viro docto, n. 170.*  
*Nullum ex Hereticis, & Paganis argumentum; cur? n. 171.*

**O**bjicies 1. ex M. Baro *d. 2. sect. 2. art. 2. N.* Dictamen conscientia debet esse certum de licentia operis: sed nulla probabilis est certa, nec à se, quia est tantum probabilis, nec à principio extrinseco, nam assignatur; ergo.

Sed contra; quia idem Baro queritur quòd N. malè cum interpretetur, quasi omnem probabilitatem abdicet, & evidentiam ubique expetat, quòd est, ait, impossibile: ergo si evidentia est sæpe impossibilis, erit quoque sæpe impossibilis speculativa certitudo de licentia operis, cum ea non habeatur nisi vel ab evidentia, vel à supernaturalitate.

Contra 2. quia ab omnibus solvendum; quæro enim unde habeatur certitudo de non peccato in sequente tutius minus probabile, vel probabilius minus tutum. Dein dico ferè omnes Probabilitas docere, quòd ultimū conscientia dictamen sit certum; et si enim hic actus directus, *Picteura non est peccatum*, non sit certus, est tamen hoc dictamen reflexum, *Licet mihi uti opinione mihi certò probabili*, certum ex fundamentis opinionis benignæ à nobis asseræ. Quia tamen puto hoc dictamen reflexum non esse necessarium, nec esse immediatam conscientia regulam formalem, dico, quòd opinio apparens indubitanter probabilis practice, est per se ipsam certa, non quidem certitudine ortà ex evidentia de honestate actionis, sed certitudine excludente omne peccatum, & omnem prudentem peccati formidinem, de quo late infra.

Objicies 2. ex M. Baro *1. p. Manud. d. 2. sect. 2. art. 3. §. 2.* Opinio probabilis non est practice certa, repugnat enim, ut iudicium certò prudens deducatur ex præmissis probabilibus: ergo &c.

Aaa ij

Sed

N. 161. Sed contra 1. quia huic argumento satisfacere tenetur; tum quia admittit, & docet sequendam minus probabilem tutiorem præ magis probabili minus tutam: tum quia docet, quod casu, quo minus tuta sit cum excessu probabilior, licitum sit eam sequi: tum quia docet, quod casu, quo utraque opinio litet pro officio, & pro honesto, & sit æque probabilis, licere sequi quam libuerit. Queritur igitur, unde in opinionem tutiorem minus probabilem, aut probabiliorem minus tutam certitudo derivetur?

N. 162. Contra 2. quia *l. c.* §. 1. ait: Negari non potest nõ licere subito decretere militiam, quamvis jus belli sit dubium: & sibi objicit, quomodo fieri possit, ut conclusio sit certior præmissis, ejuque principio, cum quidquid habet necessitatis, aut virium, à principio, unde oritur, accipiat: & respondet, id verum esse de progressu scientiarum, & assensu speculativo; secus de agendis, quorum iudicium ex prudentia completum est, & omnibus attentis statuit, quid pro tempore factu sit opus. Mirabilis responsio, quæ nihil respondet: quæram enim, cur conclusio speculativa certa oriri debet ab utraque præmissa speculativè certâ; conclusio autem practicè certa oriri non debeat ab utraque præmissa practicè certa? Immo sicut M. Baro cum iure belli speculativè dubio componit certitudinem conclusionis, ita potest ipse componere, ut nos componimus, cum lege speculativè dubiâ certitudinem conclusionis. Dico itaque opinionem probabilem esse practicè certam, & fundari in præmissis practicè certis, esto possit simul esse speculativè dubia, de quo infra.

M. Bar.   
 N. 163. Dices: Ad dirigendam conscientiam satis non est iudicium certum de probabilitate opinionis; ergo multo minus satis erit opinio probabilis. Sed contra 1. quia P. Card. tom. Fagnan. 1. d. 15. n. 246. iure merito miratur, quod M. Baro assumant ut certum, quod ad conscientiam dirigendam non fit satis iudicium certum de probabilitate opinionis: at ego simul miror, quomodo ipsi componant, & dicant satis esse iudicium certum de tutioritate opinionis, et si minus probabilis, cum tamen simul velint necessarium esse iudicium moraliter certum de veritate opinionis. In formâ nego antecedens.

N. 164. Plura infra daturi sumus, ubi quæremus, an satis sit iudicium probabile directum sine alio dictamine reflexo de licito utu opinionis directè minus probabilis. Ibi enim explicaturi sumus, quomodo iudicium minus probabile sit directè prudenter verum: hic unice adverto, quod sæpe adverti, mirari me,

quomodo Anti-Probabilistæ arguant contra usum licitum opinionis minus probabilem, eo quia opinio probabilis non est dictamen conscientie certum; ultimum autem conscientie dictamen debet esse certum, nam debet esse prudens; mirari, inquam, quia cum ipse Philal. qu. 1. §. dico 3. pag. 15. dixerit, iudicium probabile de bonitate esse certum certitudine morali; utique de nõ peccato; quomodo igitur iudicium moraliter certum de non peccato exponit periculo peccati? Quomodo probabile potest esse certu? Ergo hoc ipsum ab illis exponendum est. Sed de hoc infra.

Objicies 3. ex P. Eliz. lib. 2. qu. 14. & lib. 3. qu. 18. Lex Dei est prima regula morum, & humana est ratio secunda appellans primariam: sed ratio probabilis non est talis si enim sit falsa, non applicat nobis legem Dei verè existentem, sed quam ipsa fingit; ergo ratio probabilis non est recta regula. Confirmat: Quod est æque indifferens ad verum, & falsum, nõ potest esse recta regula; ergo cum opinio æque, aut minus probabili sit ita indifferens, immo cum minus probabilis magis accedat ad falsum, neutra poterit esse recta regula: ut constat in horologio, quod si æque se habeat ad motum, quam ad non motum solis, non est recta regula temporis: ergo cum opinio probabilis sit æque indifferens, ut conjungatur cum lege, quam cum non lege, non minus ac ejus contradictoria, non est recta regula: ergo sola cognitio vera est regula morum.

Sed contra; quia certum est ignorantiam, & errorem invincibilem excusare à peccato; ergo talis error est saltem regula operandi sine peccato, si non est regula operandi honestè; immo in P. Elizala. retorqueo, qui lib. 3. qu. 11. §. 2. ait: Si contingat conscientiam probabilem esse falsam, & à me putetur vera, erit conscientia erronea ligans, & obligans; ergo si erroneum putetur verum, poterit esse regula, seu lex ligans; ergo multo magis probabile putatum prudenter verum. Deinde distinguenda est duplex Dei voluntas, ut dixi d. 6. & 7. alia per se, alia per accidens ex suppositione nostri erroris: opinio probabilis falsa non est conformis regulæ directæ Dei, nec objecto, quod enuntiat; est tamen conformis regulæ reflexæ, adeoque est tantum speculativè falsa, & est practicè vera: ut enim opinio probabilis sit recta morum regula, non requiritur, ut sit conformis suo objecto, ut est in se, sed satis, ut sit conformis objecto, ut representatur per rationem prudentem, & ejus objectum iudicetur prudenter conforme legi Dei. Quare opinio probabilis est quidem

quidem indifferens, ut sit conformis, vel difformis objecto, quod enuntiat, non tamen legi Dei, eo ipso quod proponit tale objectum, ut prudenter conforme. Vide quæ dixi d. 6. sect. 4. necnon P. Moyam tom. 2. qu. 9. a n. 52.

P. Moy.

N. 167.

P. Oric.

Dices: Duo horologia quoad eandem temporis horam discordantia non generant opinionem probabilem, nec se habent, ut fatetur P. Ovid. 1. 2. tr. 5. contr. 4. n. 46. ut duæ opiniones probabiles; immo generant dubium; ergo nullum sequi possum, nisi superveniat aliud iudicium: ergo idem dicendum de duplici probabili. Sed contra 1. quia et si hoc totum daretur, adhuc erit licitus usus minus probabilis, accedente iudicio reflexo de licito ejus usu. Contra 2. quia vel ea duo horologia se habent ut duæ opiniones probabiles, ut voluit P. Sanch. P. Palao, C. de Lugo d. 15. de Euch. sect. 2. a n. 27. M. Medina, & alij apud P. Ovid. vel non? Si se habent, potero quodlibet sequi; si non se habent, ut revera non se habent, nam se habent potius ut duo testes attestantes idem factum, & generantes dubium, paritas non est ad rem. Læge, si lubet, Caramuelem lib. 1. Theol. Mor. Fund. Fundamento 10. a n. 340. ad 397. ubi late, & eruditè differit de horologijs, & ostendit, quam parum illis fidendum; imo hoc dicit non tantum de Automatis, sed de ipsis Solaribus, quæ ferè omnia, ait, esse in peccato originali concepta.

P. Sanc. P. Pala. C. de Lugo M. Med.

Caram.

N. 167.

P. Eliz.

Objicies 4. ex P. Eliz. lib. 1. qu. 5. §. 2. Si licet sequi omnem opinionem practicè probabilem, sequitur, quod propria cuiusque existimatio certo probabilis, & prudens, concedo; aliter, nego. Aliud enim est, quod quodlibet iudicium certo prudens de honestate operis sit regula sufficiens; aliud, quod quodlibet iudicium sit talis regula: illud affirmamus esse necessarium; hoc negamus esse satis.

N. 168.

P. Teril.

P. Eliz.

Quod autem subdit, tam varia esse inter se hominum iudicia, quam variae sunt dispositiones iudiciorum, non est ad rem; etsi enim homines sint varè dispositi, non tamen semper diversimodè iudicant de rebus, sed de illis tantum, quæ incertæ sunt; immò, ut rectè advertit P. Teril. de Reg. mor. qu. 13. n. 3. pleraque Celladei argumenta adeo misera esse, ut ab eo solvenda sint; nam ipse admittit probabile, quod vocat reale pro regula conscientiae; quo posito, ecce argumentum sub istis terminis: Homines, quia varè dispositi, diversimodè de probabili reali iudicant; ergo non ipsum probabile reale, sed

propria cuiusque existimatio de tali probabili erit regula conscientiae. Addo ego hoc aliud: Homines, quia varè dispositi, diversimodè de autoritate viri fide digni iudicant: ergo autoritas viri fide digni non erit regula conscientiae respectu idiotæ, sed propria existimatio de tali autoritate. Itaque dico, quòd, juxta nos, non omnis apprehensio, & existimatio probabilitatis, sed sola certitudo, aut evidentia probabilitatis est sufficiens regula conscientiae; quare si quis ex vehementia passionis putet se habere certum de probabilitate partis minus tutæ iudicium, & non habeat, peccabit sequendo minus tutam, quia ex culpà propria caret certo probabilitatis iudicio.

Omitto quæ P. Eliz. l. c. in nos trahit, nam, ut scite P. Teril. n. 5. vel gravissimam nostræ sententiæ calumniam ex industria imponit, dum asserit nos docere omnem actum existimationi vincibiliter erroneæ conformem esse honestum, cum tamen omnes doceamus conscientiam vincibiliter erroneam non excusare, immo peccare, qui eam sequitur: vel errat, dum nostram sententiam exponit; omnes enim dicimus pleraque Hæreticorum, & Paganorum opera, relata à Celladei, esse peccata, quia sunt à conscientia vincibiliter erronea. Addo hoc solvendum à Celladei, qui cum admittat idiotam rectè agere, sequendo iudicium sui Directoris, quæro quid facere debeat idiotæ, si Director, de quo summam habet existimationem, proponat illi tamquam probabile reale id, quod reverà est improbabile?

N. 169.

Cellad. P. Teril.

Dices: Si ad conscientiam satis est probabilitas intrinseca, satis etiam erit respectu idiotæ probabilitas extrinseca; sed hæc non est satis, alias idiotæ sequens suum Ministrum excusabitur ab hæresi; ergo &c. Sed contra; quia hoc ab omnibus solvendum; nam certum est, rectè idiotam sequi virum fide dignum; immò cum incapax sit cognoscendi probabilitatem intrinsecam, satis ei erit extrinseca. Quare licet idiotæ ignoret, an ejus Director sufficientem diligentiam in studendo adhibuerit, & an verum dicat, attamen certo scit, se prudenter ei credere, nec teneri ad ulterius, cum primum ethicè principium sit, quod idiotæ itare debeat viro, quem invincibiliter putat doctum: quo iudicio posito de certâ probabilitate extrinsecâ, rectè idiotæ operatur sequendo rem à suo Directore laudatam. Quoties igitur idiotæ formare potest iudicium certo prudens de sui Directoris sufficientiâ, toties rectè operabitur; etsi operetur aliquid materialiter malum; quatenus tunc idiotæ

N. 170.



habet certam probabilitatem extrinsecam de operis honestate; quod iudicium certo prudens de doctrina sui Directoris necessarium est in idiota; adeoque neque in idiota, quælibet ejus existimatio est regula conscientie, sed dictum iudicium certo prudens de sui Directoris autoritate.

N. Quod Celladei dicit de Paganis blasphemantibus, centies dixi non excusari à peccato, quia vincibiliter errant, & nullum iudicium vincibili ignorantie nixum potest esse probabile; & multo minus si cum actuali, & prudenti suspitione malitie conjunctum sit: porro ferè omnes Paganorum errores rationi naturali opponuntur. Idem dico de illis, qui ab initio Hæresiarchas secuti sunt, cognoscebant enim, quod illi eam opinionem contra communem Ecclesiæ doctrinam amplexi sint: illi autem qui in Hæresi educati fuerunt, (ait P. Teril. n. 9. & ego ipse met locuples testis esse possum experientia ductus) laborant sæpe invincibili ignorantia, & errore materiali. De hoc supra plura dedi, & infra dabo.

## §. II.

Secundo, quia sequens probabilem operatur cum dubio; ubi plura de possessione libertatis.

## SUMMARIUM.

Nego quòd ex contrarietate opinionum oriatur semper dubium, n. 172. 173. & 177.  
Operans cum dubio caret omni dictamine prudenti, non ita qui cum opinione probabili, n. 174.  
M. Mercorus ait, quòd probabilitas nec sit regula regulans, nec regulata, & quòd probabilitati uniatur formido, n. 175.  
Probabilitas est regula formalis regulans, num. 176.  
Candidus ait, opinantem esse in peiori statu dubitante, n. 178. 179.  
Solveo, n. 180.  
Ait, quòd cum iudicio de probabilitate stet aliud de falsitate, n. 181.  
Ab eo solvendum, ibid.  
Ait in dubio practico teneri nos semper ad tutius, non in dubio facti, aut quando opinio est probabilior, n. 182.  
Cur in dubio practico teneamur ad tutius? num. 183.  
Dubium practicum deponi potest per possessionem libertatis, aut per iudicium certo probabile, ibid.  
DD. timentes possessionem libertatis ubique favore, ibid.  
M. de Prado docet, libertatem possidere, quo-

ties lex non est certa, ibid.

Cur possessor rei non teneatur restituere? n. 184.  
Cur in omni virtute melior sit conditio possidentis? n. 185.

Negat Candidus, n. 187.

Regula sequendi tutius in casibus à jure prescriptis est præceptum, in alijs consilium, n. 188.

Ut homicida dubius se habeat ut irregularis, homicidium debet esse certum, adeoque si dubius sit dubius, non incurritur, ibid.

An peccata dubia sint constituenda? DD. n. 189.  
Caramuel rejicitur, ibid.

Dubium sumendum est strictè, non pro opinione probabili, n. 190.

An constituendum peccatum, cum opinor peccasse, & opinor non peccasse? Ibid.

Est traditio, quòd peccata dubia constituenda sint, n. 191.

Impugno singularem Celladei opinionem, qui vult constituenda peccata possitè, non negatè dubia, n. 192.

Ejus contradictio, n. 193.

Difficultas sæpe est pro qua parte stet possessor, stat autem pro eà, a qua non exigitur probatio, n. 194.

Illationes de lege, voto, &c. n. 195.

An audità duodecimà noctis possit quis continere cenam, accommodando se horologio tardiori, & subsequenti die communicare? Ibid.

Cur detur lex reflexa vetans homicidium materiale, non ita vetans peccatum materiale contra Deum, n. 196.

Candidus ait, quòd possessio tollat omne dubium de malitià actus, non ita in alijs virtutibus; quòd homo unice possideat libertatem physicam, non moralem, n. 197.

Insto, & ejus contradictio, n. 198.

Quomodo liceat actus, quem dubio illicitum? n. 199.

**O**bjicies 1. Non licet cum conscientia practice dubia de peccato operari, ut certum est; ergo neque cum opinione probabilii. Consequentia probatur, tum quia ex contrarietate opinionum oritur semper conscientia practice dubia de honestate actus, tum quia omnis opinio probabilis includit semper formidinem, & dubium peccati. Ita Philal. M. Merc. Fagn. M. Baro, M. Gonet. Riccius, Palanco, & alij.

Sed contra 1. quia hoc ab omnibus solvendum, tam Tutoristis, quam Probabilioristis, quatenus uni admittunt licitum se qui tutiorem minus probabilem, alij minus tutam probabiliozem: ergo in casu, quo quis sequitur vel tutiorem minus probabilem, vel probabiliozem minus tutam, aderit conscientia dubia, tum ob contrariam opinionem, tum

tum quia opinio etsi probabilior includit etiam formidinem, & dubium peccati: ergo vel falsum est, quod semper ex contrarietate opinionum oritur dubium, & quod omnis probabilis includat dubium; vel si hoc verum est, peccabit etiam qui sequitur longè probabiliorem.

N. 174. Contra 2. quia etiam solvendum est, quatenus probat nullam ne quidem tutiorem simul, & probabiliorem nos sequi posse, quia tunc etiam dabitur dubium practicum ex contrarietate opinionum. Quare hæc argumenta eò tendunt, ut velint nos non posse operari, nisi simus speculativè certi de honestate actus, quod dici non potest; plerumque enim sumus incerti, & plerumque est impossibilis certitudo speculativa honestatis, cum ea in rebus naturalibus fundetur in evidentiâ. In formâ concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est: quia operans cum dubio peccati caret omni dictamine prudentiæ; opinio autem probabilis stans pro libertate nititur rationi prudenti. Ad 1. quod cum dubio speculativo de honestate derivato ex contrarietate opinionum ita certitudo practica de eadem, accedentibus saltem principijs reflexis, ut infra dicam; immò, ut supra dixi d. 8. per totam, nego oriri necessariò dubium ex contrarietate opinionum, quod licet oriretur, deponi potest. Ad 2. hoc esse contra S. Thom. explicatum à me d. 12. ubi clarè ostendit non semper oriri dubium ex contrarietate opinionum; immò est evidenter contra M. Baro, nam 2. p. Manud. d. 4. sect. 1. pag. mihi 379. ait dubium ab opinione probabiliter diversissima esse. Plura de peccati formidine, quæ adest in sequente minùs probabilem, solvemus infra, ubi examinabimus, an satis sit iudicium probabile absque alio dictamine certo reflexo de licito usu minùs probabilis. Aliter huic argumentò occurrit P. Moya tom. 1. tr. 1. qu. 6. n. 32.

N. 175. Dices ex M. Mercor. 1. p. art. 14. pag. 38. Vel probabilitas est regula regulans, vel regulata? non regulans, quia hæc est sola lex Dei æterna; non regulata, quia cum probabilitas includat necessariò formidinem, per accidens est, quod sit conformis regulæ regulanti; ergo nec est regula regulans, nec regula regulata. Confirmat; quia qui practicè adhæret doctrinæ probabiliter, & errat, non errat invincibiliter, cognoscit enim formidinem essentialiter uniti probabilitati, & potest vitare omitendo opus; ergo non excusatur ab errore.

N. 176. Sed contra 1. quia hoc probat nullam nos opinionem, etsi moraliter certam, sequi pos-

se sine culpâ, sed solam evidentem, quod est Jansemismus, quia nec moraliter certa excludit omnem formidinem: 2. est directè solvendum à M. Mercor. qui vult tutiorem minùs probabilem esse sequendam, & de hæc id ipsum quæro, quod à nobis quærit. In formâ dico, quod probabilitas sit regula regulans formalis, & proxima, ut dixi d. 6. & 7. Ad id quod addit de formidine, nihil obest, est enim formido imprudens, ut infra.

Ad confirm. nego antecedens; ut enim, juxta Mercor. sequens tutiorem minùs probabilem, aut minùs tutam probabiliorem, aut tutiorem probabiliorem, invincibiliter erat, ita sequens minùs tutam minùs probabilem.

Infas: Sequens minùs probabilem de honestate potest prudentius judicare objectum esse inhonestum; ergo peccat. Sed contra: quia licet possit in sentu diviso à iudicio de honestate, non tamen in sentu composito, atque adeo potest peccare, si assumat aliud iudicium probabiliter de inhonestate; non autem potest peccare, aut peccat, si sequatur iudicium minus probabile de honestate, itante hoc iudicio.

Objicies 2. ex Philal. Non possum assentiri omni probabili: ergo non omnis probabilis potest licitè deduci ad praxim. Antecedens probatur; quia si utraque est probabilis, neutri possum assentiri, immò necessariò intellectus suspendet omnem assensum, & ex æquali contrarietate generabitur dubium practicum; si altera sit probabilior, huic necessariò assentietur; ergo non assentietur minùs probabili; ergo non omni probabili assentiri potest. Sed nego antecedens, & ejus probationem, quam & alia similia argumenta latè d. 8. dilui. Ad 2. quod si ex contrarietate opinionum necessariò resultaret dubium practicum, cujus oppositum docui cum S. Thom. non maneret in illis probabilis, quod est certò falsum, utraque enim adhuc suam probabilitatem retinet, ut dixi d. 8. sect. 1. Ad 2. etiam à Philal. solvendum; vult enim, quod si utraque opinio sit æquè tuta, possum assentiri, cui maluerò; immò dico, sicut, juxta Philal. non teneor assentiri tutiori, nec ex contrarietate opinionum magis, & minùs tutæ oritur dubium de earum securitate; ita neque tenebor assentiri probabiliori, nec orietur dubium de probabilitate earum. Fateor, quod si interveniret dubium practicum de earum, aut alterutrius opinionis probabilitate, tunc sequenda esset pars tuta; at nego illud intervenire, nam suppono utramque esse certò probabilem.

Objicies

N. 178. Objicies 3. ex Phil. pag. 93. Non est licitum operari, non deponito dubio de illicito; ergo multo minùs licebit opinari, & operari juxta minùs probabilem, quia est in deteriore statu, quam qui est in dubio; qui enim est in dubio, nullum habet judicium; qui autem sequitur minùs probabilem, habet judicium probabilius de illicito; ergo si est peccatum agere suspensio omni judicio de licito, & illicito, multo magis cum judicio probabiliori de illicito; & ait hoc argumentum esse benè notandum.

N. 179. Sed contra; quia est ab eo solvendum; si enim argumentum tenet, sequens minùs tutam probabiliorē peccabit, & erit in peiori statu, quàm dubitans, quatenus habet judicium de minori securitate, adeoque maiori periculo se exponet. Rursus sequitur quod erit in peiori statu sequens tutiorē, & probabiliorē, quàm dubitans; hic enim caret omni judicio, ille autem habet judicium probabile de peccato, & judicium de non totali securitate. In formā nego duplex suppositum. Primum est, quod supponit dubitantem carere omni judicio; eto enim careat omni directo, an talis res sit, aut non sit licita, potest tamen habere, immo habet judicium reflexum, quod operari cum dubio sit illicitum. Secundum est, quod supponit sequentem opinionem minùs probabilem habere judicium probabilius de illicito, hoc autem est certò falsum; repugnat enim probabilitas simultatis, ut ipse etiam Philaleus tuetur, qui negat posse componi hæc duo iudicia æquè, aut non æquè probabilia, *Licet, non licet*; habet igitur hoc tantum judicium minùs probabile, *licet*. Vide quæ dixi d. 13. sect. 4. §. 5. ad ea, quæ Philal. ex S. Thom. contra nos deducit.

Philal. Objicies 5. ex Philal. qu. 7. pag. 148. Qui licet doceat in dubio facti non esse sequendum tutius ex præcepto, & ideo dubitans, an hoc vocum emiserit, non tenetur implere, & licet doceat, quod si pars minùs tuta sit longè probabilior, non tenemur sequi tutiorem; ait tamen, quod in dubio practico, an actio sit licita, teneor tutiorem partem sequi: sed quoties datur opinio a quæ probabilis pro licentiâ, ac pro non licentiâ actionis, tunc sumus in dubio practico; ergo tunc tenemur sequi tutiorem.

N. 180. Dices ex Philal. pag. 106. Operans cum dubio de licito peccat; ergo multo magis sequens minùs probabilem de licito; tùm quia dubitat; tùm quia tunc simul opinatur probabilius esse illicitum. Nego iterum suppositum; nam opinans, *licet*, non habet hoc judicium probabilius, *non licet*. Rursus nego, quod opinans, *licet*, dubitet, nam per judicium, *licet*, excludit omne dubium.

N. 181. Objicies 4. ex Philal. pag. 115. Cum judicio de probabilitate stat dubium de veritate, & judicium de falsitate; quia possum scire opinionem esse probabilem, & simul putare esse falsam: ergo judicium de probabilitate, quod hoc opus liceat, non est satis ad honestè operandum.

Sed contra 1. quia sibi contradicit qu. 1. pag. 15. ubi ait, quod *probabile judicium de bonitate est certum certitudine morali*, subin-

tellige de non peccato: ergo judicium probabile satis est ad honestè operandum. Contra 2. quia ab eodem solvendum; alias nec satis erit judicium de probabilitate, quia cum eodem stat judicium de falsitate, nam plura falsa sunt probabiliora veris; immò in casu, quo, ut ipse docet, tenemur ad minùs tutam probabilem, cum judicio de probabilitate, & minori securitate, ita judicium de maiori securitate, & minori probabilitate opinionis opposita. Quid ad hæc dicent Candidus, immò quilibet Probabiliorista, aut Tutiorista? Hinc quò magis considero argumenta, quæ in nos trahunt. Anti-Probabilista, eo magis in meâ sententiâ confirmor, cum nullum sit, quod ab ipsis solvendum non sit: e contra nostra in illos argumenta à nobis solvenda non sunt. Adde argumentum non impugnare sententiam tuentem usum minùs tutæ minùs probabilis, sed eos tantum Probabilistas, qui docent quod ad honestè operandum satis sit judicium de probabilitate; si autem hoc sit verum, siue factum, adhuc licitus erit usus opinionis minùs tutæ minùs probabilis, cum satis sit assentiri directè, sine ullo reflexo supra probabilitatem judicio. In formâ transeat, quod sit dubium de falsitate, & veritate speculativâ; nego stare dubium de practica. Immo antecedens negari potest, & dici, quod sit judicium de falsitate indeterminatè, non autem determinatè.

Objicies 5. ex Philal. qu. 7. pag. 148. Qui licet doceat in dubio facti non esse sequendum tutius ex præcepto, & ideo dubitans, an hoc vocum emiserit, non tenetur implere, & licet doceat, quod si pars minùs tuta sit longè probabilior, non tenemur sequi tutiorem; ait tamen, quod in dubio practico, an actio sit licita, teneor tutiorem partem sequi: sed quoties datur opinio a quæ probabilis pro licentiâ, ac pro non licentiâ actionis, tunc sumus in dubio practico; ergo tunc tenemur sequi tutiorem.

Sed contra 1. quia quæro cur in dubio facti non teneor ex præcepto ad tutius, cum ipse ex ipso dubio facti oriatur dubium practicum; ex eo enim quod dubitem, an emiserim votum, dubito, an omisso actionis, quam dubito an voverim, sit licita: componat igitur Candidus dubium de voto cum prædictamine certo, quod possum actione committere. Contra 2. quia si quando opinio est longè probabilior, non teneor ad tutiorem, cur teneor quando est minùs probabilis? Nam vel in utroque casu datur dubium practicum, vel in neutro? vel in utroque potest deponi, vel in neutro? In formâ præter rationem,

rationem, quam dedi paulo ante, dico verum esse, quod in dubio, an actio sit licita, teneor legi tutiorem; immo tunc opposita non est licita, nec tuta. Ratio est; quia operans cum dubio an actio sit licita, exponit se periculo peccandi, immo formaliter peccat; nam implicat, ut operatio sit bona, nisi sit regulata à iudicio prudenti dictante esse licitam; sed in tali casu caret tali iudicio;

P. Perez. ergo formaliter peccat, ut bene P. Perez. *tr. 2. de Just. d. 2. n. 94.* & ideo dubitans, an liceat non restituere, si per iudicium non deponat dubium, peccat non restituendo. Nego autem esse in dubio practico, quoties iudico utramque opinionem esse certo probabilem, aut quoties iudico obiectum A licere, et si habeam maiora motiva pro non licentia; nam non suspendo omne iudicium. Rursus dico dubium deponi posse per principium reflexum de possessione libertatis, & invincibili ignorantia legis: liberum enim, & licitum est cuique agere id, quod non certo constat esse illicitum: & liberum, & licitum est cuique agere contra legem non satis intimatam; immo prudenter negatam, ut in materia iustitiae traditur: sicut ergo in materia iustitiae possessio rei facit, quod in dubio, an res sit mea, immo cum iudicio probabili, quod non sit mea, facit, quod eam possim licite tenere; ita in materia aliarum virtutum possessio libertatis, in qua homo ex natura sua nascitur liber, facit ut in dubio, an teneat jejunare, obedire, &c. facit, inquam, licitum non jejunare, non obedire, & similia, ut cum pluribus docui in P. Saur. *tr. de Just. & Jure; ita P. Saur. d. 40. de Censuris sect. 5. & lib. 4. de Voto cap. 5.* P. Sanch. *d. 41. de Matrim. a n. 32. & lib. 1. Sum. cap. 10.* P. Perez *tr. 2. de Just. d. 2. n. 85.* P. Palao *tom. 1. d. 3. pu. 2. Bonacin. d. 1. de Rest. qu. 2. pu. 1.* P. Tambur. *lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 6.* M. Mart. de Prado in Theol. Mor. *cap. 1. de Consc. qu. 9. n. 10.* P. Ovied. *1. 2. tr. 5. contr. 4. n. 33.* qui praeter à me citatos, citat P. Henric. P. Gran. P. Laym. P. Filliuc. P. Kon. Joan. Sancium, & alios, quibus addo Herinx *tom. 2. d. 4. a n. 41.* Caram in Dialecti passim, qui trahit Passerinum Verde, Redding, Ballaëum, & alios Salmaticenses, Bordon. Pontium, allegans per extensum eorum doctrinam à n. 480. quare M. Mart. de Prado *tom. 1. qu. 2. §. 1. n. 3. & §. 2. n. 8.* dixit: *Posseor semper est reus, quia ipse non postulat, sed ab ipso postulat Aclor: ergo dum non est certus obligatio, savendum est possessioni libertatis.* Hec M. Mart. Probabiliorista. Idem tradit M. Tapia *tom. 1. lib. 1. qu. 8. art. 9.* Addo D. Perca, & Alex. Mynex.

Ratio cur facta sufficienti diligentia, qua N. dubium vinci non potuit, pollicitor rei non teneatur restituere; (si enim sufficienti diligentia usus non fuerit, erit pollicitor male fidei) ratio, inquam, est; quia possessor habet duos titulos (ait P. Sanch. *lib. 1. Sum. P. Sanc. cap. 10. n. 11.*) unum dubium, an res sit sua; & quoad hoc convenit cum non possidentibus alium certum, seu possessionem, qua non possidens caret: ergo possidens debet merito prevalere. Consequentia probatur; quia absurdum est causam certam vinci à dubia; sed si non esset melius in materia iustitiae jus possidentis, causa certa, seu possessio vinceretur à dubia, seu à dubio, an res sit tua: ergo &c. Confirmo; quia idem esse debet iudicium fori interni, & externi, quoties externum non nititur falsae praesumptioni, cui saepe nititur, quando veritas sciri non potest: sed qui bona fide possidet rem, & dubitat an sit sua, non obligatur à foro externo ad ullam restitutionem; ergo multo minus à foro interno, ut bene P. Vasq. *1. 2. d. 61. cap. 7.* P. Vasq.

Quod autem facta sufficienti diligentia N. pro veritatis inquisitione, melior etiam sit conditio possidentis in materia omnium aliarum virtutum, cuius oppositum docet P. Vasq. *1. 2. d. 65. cap. 3. & d. 66. cap. 1. & 2.* & alij apud P. Ovied. *1. 2. tr. 5. n. 40.* probatur; quia quæro, cur possessio melioret conditionem possidentis in materia iustitiae, non autem aliarum virtutum, nisi quia jus possessionis certum praevalet juri dubio, an res sit mea? absurdum enim esset, ut jus certum tolleretur ab impedimento dubio: ergo etiam jus certum propriae libertatis à tali lege, voto &c. praevaleret dubio existentiae legis, voti &c. Confirmo; quia, quod facit veritas in rebus, hoc facit in nostro intellectu, & conscientia probatio, nam probatio responderet veritati; ergo quoties non probatur possessio pro voto, aut pro existentia legis, sed tantum sum dubius de existentia legis, & voti, possum legem, & votum non observare, cum possessio stet pro libertate à voto, & lege. Neque enim dubitatio de existentia legis, & voti vincere potest veritatem probatam de existentia libertatis à voto, & à lege; homo enim aequè est ex sua natura rationalis, ac liber: nisi ergo probetur sublatio libertatis per legis existentiam, homo est immunis à lege; nam lex dubia non potest vincere certam libertatis existentiam, in qua homo nascitur. Confirmo iterum; quia sicut si sum certus de damno illato, & dubius de restitutione, teneor restituere, ne dubia solutio tollat debitum certum; ita econtra, si sum certus, quod sum possessor libertatis

libertatis à lege, non teneor obedire legi, accedente dubio, an detur lex; ne dubia legis existentia vincat certam à lege libertatem.

P. Perez Adde, ut acutè P. Perez, si possessio non melioraret in materiâ aliarû virtutum conditionem possidentis, deterioraret aliquando conditionem possidentis, quam non possidentis qui enim dubitat de matrimonij valore, non potest, juxta P. Vasq. uti matrimonio cōtracto, & multo minus inire aliud; qui autem nullum inivit, adeoque non potest, posset aliud inire.

N. 186. Ex his evidenter constat, quòd cum nullatenus Adversarij probent existentiam legis obligantis vel semper ad tutius, dummodo probabile, vel semper ad probabilius, & ex alterâ parte homo certo possideat libertatem, consequenter non tantùm homo sequi potest minus probabilem benignam, sed ad omnia Contrariorum argumenta supponenda dari eam legem, negari potest suppositum. Similiter evidenter constat, quòd judicium speculativum de licentiâ, aut non licentiâ actionis, vel objecti, sed etiam de licentiâ, aut non licentiâ reflexâ sequendi minus tutam minus probabilem, deponi possit per judicium practicum, quod homo privandus non sit possessione libertatis, in quâ nascitur. Hinc paritati, quòd sicut possessio rei facit, ut quis licitè eam teneat, etsi superveniat dubium an sit sua; ita etiam possessio libertatis, in quâ homo nascitur, facit, ut quis licitè operetur contra legem incertam, & dubiam, mirum quomodo succumbat Philaletus à pag. 149. cujus argumenta, & doctrinam mox dabo.

N. 187. Dices 1. Ex jure tutior pars in dubiis est eligenda, de quâ regulâ fuse tractat P. Sanch. lib. 1. sum. cap. 10. n. 10. & P. Vasq. l. e. & P. Vasq. ideo in jure Canonico deciditur, quòd dubius de homicidio censendus sit irregularis; & dubius de excommunicatione abstinere debeat à sacris: sed tutior est pars, in quâ ne quidem materialiter lex violatur, vel saltem minus violatur; ergo ea est eligenda: ergo in dubio existentie legis, voti, & similium, teneor votum, & legem implere, quia non implendo incurro periculum violandi votum, & legem saltem materialiter, si fortè adest. Confirmatur; quia mortalia dubia sunt confitenda, licet dubitans sit possessor sue innocentie; ergo possessio non semper favet.

N. 188. Respondeo, præter plurima quæ dixi d. 13. sect. 3. & alibi, eam regulam, sequendam partem tutiorem, non esse præceptum, sed consilium, ut latè P. Sanch. l. e. & P. Suar. sect. 5. a. n. 14. nisi in casibus à jure expressis;

& ideo dubius de homicidio, & dubius de excommunicatione, ille debet se gerere ut irregularis, iste ut excommunicatus, quia in his casibus jus Canonicum hoc præcipit, de quo lege Caram. in Dialectic. n. 512. Dicitur dubium de homicidio debere se gerere ut irregularis; ubi notandum, quòd dubium non debet esse, an necne commissum sit homicidium, sed an Petrus illud commiserit; ita ut dubium non sit circa factum, hoc enim debet esse certum; sed circa facientem; & ideo P. de la Fuente disp. 22. cap. 6. cum Petrus Giballino, P. Bardì, P. Tambur. & alij dicit, quòd qui dubitat, an cauterit abortivum, quatenus dubitatur, an factus fuerit, necne animatus, non debet se gerere ut irregularis; quia ex jure tunc tantum ita debet gerere, quoties homicidium reverà existit: sed quoties dubitatur an factus fuerit animatus, homicidium reverà non existit, homicidium enim supponit certo vitam hominis; ergo &c. Adde ex P. Perez. n. 106. vel dubitas de culpâ homicidii, an fuerit voluntarium, vel de effectu, an ex tuo actu sit secutum homicidium? Si primum, nulla incurritur irregularitas ex actû, de hac enim Papa unice loquitur, quòd de irregularitate ex defectu lenitatis; quia injustum est punire hominem certâ penâ, cujus delictum non probatur: si autem sis certus, quòd peccatum cum culpâ emiseric, & dubius sis, an ex tuo actu mors sit lecta, tunc irregularitas incurritur, quia tunc sufficienter præsumitur homicidium. Ad probationem dico, quòd in dubio existentie legis non est tutius eam implere; immo tutius est eligere, quam partem malueris, nullâ creditâ obligatione legis; tunc enim, licet, si lex existat, eam materialiter violes, evadis tamen periculum violandi legem formaliter; quòd non evadis, si credis dari talem obligationem, & contra eam opereris, ut sepe dixi.

Ad confirm. nego 1. antecedens cum pluribus, quos copiosè adducit P. Haunoldus, lib. 4. cap. 8. contr. 1. P. Ovied. 1. 2. n. 5. contr. 1. 4. a. n. 53. P. Card. tom. 2. d. 36. cap. 1. n. 7. & tom. 3. d. 74. cap. 2. ubi ait, quòd ea opinio sit dubie probabilitatis; & tom. 4. disp. 2. n. 120. ubi plures refert, & P. Tambur. in Meth. Confess. cap. 1. §. 3. sed præcipue, me iudice, P. legendus est M. Mart. de Prado in 3. part. qu. 84. de Pœnit. Sacram. dub. 4. ubi late hoc punctum dilcutit. Quòd scio est, quòd P. Gran. contr. 7. de Pœnit. tr. 9. d. 7. sententiam obligantem confiteri peccata dubia, an sint mortalia, dicit esse certam, & exploratam, & P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 10. n. 66. vocat omnino certam; & M. Baptista tom. 3. in 1. 2. d. 209.

d. 209. dub. 14. oppositam sententiam dicit non esse practicè probabilem; & Leander tom. 5. d. 5. qu. 25. & 26. opinionem obligantem vocat certissimam; & Diana oppositam deobligantem appellat improbabilem; quod mirum est, ait M. Mart. Diana, qui ferè omnium placita, ut opinioniones probabiles, sepe admittit. Attamen Caram. lib. 3. Theol. Mor. Fundam. 66. à n. 3233. ad 3334. pag. mihi 153. ad 180. acriter iustinet sententiam negantem obligationem confitendi peccata dubia, excepto mortis articulo, in quo ea confiteri tenetur. Ego tamen fateor me eum non assequi, nam n. 3243. quaerit, an Petrus in mortis articulo possit non confiteri peccatum dubium; & respondet debere facere ea, quæ certò eum in statu gratiæ constituunt; ergo debet confiteri: & hic iterum noto, aliud esse debere eum confiteri, aliud debere hoc dubium peccatum confiteri. Hæc Caramuel, quem tamen non assequor; non enim video, quod de essentiâ confessionis sit aliquid in articulo mortis, quod extra eum non sit, cum semper idem sit. Rursus non video, quid dicere velit, dum asserit esse duo diversa, debere Petrum confiteri, debere Petrum peccatum dubium confiteri. Fateor esse diversa; at quod quaeritur, non est, an Petrus teneatur confiteri, sed an in morte teneatur peccatum dubium confiteri. De hoc autem nihil subiungit; immò ad finem n. 3344. iterum ait, quod qui habet peccata dubia, teneatur in morte confiteri, non tamen tenetur ea in morte confiteri. Sed certè eo in dubio sum, in quo prius; fac enim, ut Petrus in articulo mortis sit confessus; ecce jam implevit præceptum; fac ut post confessionem occurrat peccatum dubium, rogo, an iterum teneatur confiteri? Si affirmas, quaero cur; nam jam confessus est; ergo non nisi quia occurrit peccatum dubium; ergo hoc tenetur tunc confiteri; ergo etiam extra mortis articulum. Vide P. Moyam tom. 1. tr. 3. d. 1. qu. 5. per totam, qui præ omnibus alijs ponderat obligationem confitendi mortalia dubia.

N. Nota autem dubium sumi strictè, non autem pro opinione probabili, si enim probabiliter iudices te non peccasse graviter, vel esto peccaveris, te jam esse confessum; esto probabiliter putares te peccasse, & te non esse confessum, non teneris confiteri, ait P. Suar. P. Sanch. & alij: contra si probabiliter iudices te peccasse, & nullà probabili positivà ratione te non peccasse, teneris confiteri. Tota ergo quaestio est de dubio, quando nec pro te, nec contra te habes rationes probabiles, etsi adsint indicia quædam

moventia ad suspicandum, an mortaliter peccaveris, vel non. De hoc autem consule DD. citatos; cave tamen ne te conscientia decipiat, ita ut non confitearis ea, quæ probabiliter iudicas te fecisse, & nulla probabili ratione positivà te non fecisse.

In formà transeat antecedens; dico transeat, ne de hæc materiâ dispuem, & quia 191. puto dari obligationem confitendi mortalia dubia; & nego consequentiam; tum quia, ut scitè M. Mart. de Prado l. c. n. 17. hoc patet ex praxi Ecclesiæ, cuius initium non agnoscitur, & ideo creditur ab Apostolis dimanasse, quòd mortalia dubia sint confitenda, ut etiam ait P. Oviedo; tum quia onus probandi munitionem à peccato spectat ad eum, qui ad Eucharistiam accedit, huic enim præcipitur, ut se probet; tum quia confessio instituta est in medicinam necessariam, hæc autem adhibenda est non tantum morbo certo, sed etiam incerto.

Nolo tamen hoc loco omittere singularem sententiam P. Eliz. lib. 4. qu. 4. §. 7. pag. mihi 216. qui postquam plura dixit, quæ nos impugnavimus, tandem loquendo de peccatis dubiis, an ea confiteri tenemur, ait: *Quod miror, sunt qui in dubio negativo plus obligent, immò in positivo ad nihil obligant: sed ex dictis accipitur liquido, in nullo dubio pure negativo, sive juris, sive facti, esse ullam obligationem; esse autem semper in dubio positivo, quia hoc est proprie tale, illud autem non nisi abusive, & improprie dubium est.* Hæc P. Elizald. contra quem merito pugnat P. Terillus de Reg. mor. qu. 52. à num. 32. dicens opinionem P. Eliz. dum asserit obligationem confitendi peccata positivè dubia, negat autem obligationem confitendi peccata negativè dubia, esse singularissimam, quia licet DD. ita dividantur, ut communissimè asserant obligationem confitendi omnia peccata dubia, sive positivè, sive negativè dubia sint, & ita sentiunt P. Suar. de Pœnit. d. 22. selt. 9. P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 10. n. 66. C. de Lugo d. 16. de Pœnit. n. 63. & alij passim apud P. Moyam tom. 1. tr. 3. d. 1. qu. 5. n. 2. alij verò asserant nullam esse obligationem confitendi peccata dubia, sive positivè, sive negativè dubia sint; ita Caram. qui ait hanc opinionem à ratione esse moraliter certam; & alij apud P. Moy. alij verò distinguant, & dicant peccata positivè dubia non esse confitenda, confitenda tamen negativè dubia; vix tamen ullus est, qui obliget ad confitenda positivè dubia, & deobliget à negativè dubijs, nisi P. Koning. & pauculi apud P. Ferrantino n. 3. & ideo P. Moyam n. 4. refert ex P. Ferrantino

P. Suar. P. Sanch. & alij: contra si probabiliter iudices te peccasse, & nullà probabili positivà ratione te non peccasse, teneris confiteri. Tota ergo quaestio est de dubio, quando nec pro te, nec contra te habes rationes probabiles, etsi adsint indicia quædam

rantino de Scandalo *qu. 77. a n. 31.* Revisores Societatis, opinionem de peccato negativè dubijs, dixerit non permittendam in Societate, cum vix unus Scriptor reperitur, qui illam tueatur: ergo dum P. Eliz. asserit nullam dari obligationem confitendi peccata negativè dubia, dari autem confitendi peccata positivè dubia, sequitur opinionem singularissimam. Ad 1. confundi dubium negativum, & longè aliter sumi à P. Elizald. quàm à Doctioribus, ut bene P. Terul. *n. 32.*

N.  
193.  
P. Terul.  
P. Eliz.

Ad 2. aliud esse peccatum esse negativè dubium, aliud obligationem confitendi illud esse dubiam. Ad 3. sibi contradicere, nam alibi ait, quod in dubio tutius sit ex præcepto sequendum, & tamen hic ait confitenda non esse peccata negativè dubia. Ad 4. miram esse ejus admirationem: quod enim maior ratio esse possit confitendi peccata negativè, quam positivè dubia, apparebit consideranti, etenim in dubio negativo non potest formare conscientiam de tuâ innocentia, quia pro eâ formandâ caret omni fundamento; ergo tenetur confiteri peccata dubia negativè; quia confessio (nisi contritio sit proius certa) est unicum pro adultis baptizatis justificationis remedium: contra non est tanta obligatio confitendi peccata positivè dubia, quia eo ipso quod sunt positivè dubia, potest homo formare conscientiam de suo non peccato, qua conscientia stante, non tenetur coniteri: ergo non est, cur P. Eliz. miretur, Doctores plus obligare ad confitendum peccata negativè, quam positivè dubia. Alia P. Terulius.

N.  
194.  
P. Sauc.  
M. Sot.  
Aragon.  
P. Perez.

Tota, & quidem non levis difficultas est assignare regulam, quâ cognoscere possimus, pro quâ parte stet possessio; & quoad hoc dico cum P. Sanch. *lib. 1. Sum. cap. 10. n. 13.* M. Soto, Aragonio, P. Perez *l. c. n. 85.* quod in casu dubii incipiendum sit, pro qua parte exigenda sit probatio; possessio enim statbit pro eâ parte, à quâ non exigitur probatio; adeoque si onus probandi incumbit parti faventi libertati, tunc non ero liber à lege, nam possessio stat pro lege; si autem onus probandi incumbit parti, quæ favet legi, ero liber à lege, & possessio erit pro libertate. Idem tradit M. Tapia *tom. 1. lib. 1. qu. 8. art. 9. §. 4.* ubi quærit qualis, & quanta adhibenda diligentia, ut securè exerccamus actionem dubiam: & ait, attendendum singulari studio, pro quâ parte stet possessio: ex. gr. dubitat quis, an habeat ætatem jejunandi, & an habeat ætatem recipiendi Ordines: hi duo casus, etsi videantur similes, opposito tamen modo deciduntur; nam dubitans de ætate jejunandi, non tenetur jejunare; quia (inquit

M. Tap.

M. Tapia) possidet libertatem à lege jejunandi: libertas enim præcedit obligationem jejunandi: ergo dubitans de ætate jejunandi possidet libertatem, quæ antecedit omne dubium. Econtra dubitans de ætate sufficienti tenetur non recipere Ordines, quia præceptum negativum, ne ante vigesimum primum ætatis annum suscipiantur Ordines, præcedit ipsam ætatem, & possessio est pro præcepto. Hæc M. Tapia, de quo videri etiam potest Herinx *tom. 2. d. 4. n. 40.*

Ex hoc inferitur, quod qui dubius est, si ve dubio juris, ex. gr. quod exiit excommunicatio, votum, aut lex jejunandi, recitandi, audiendi sacrum; si ve dubio facti, ex. gr. quod violaverit votum, legem, aut certuram existentem; quia onus probandi in dubio juris incumbit parti, quæ favet existentia juris, in dubio facti parti, quæ favet existentia facti, ideo possessio est pro libertate ab excommunicatione, lege, præcepto, voto, nec teneor ea fervare, si dubito, quod existant, dubius tamen sum, an illis contravenierim, non debeo me gerere, ac si contravenierim: excipe tamen, ut paulo ante dixi, irregularitatem ex homicidio *in jure*; necnon etiam, quoties jus præcipit, quod in dubio, an quis sit excommunicatus, censendus est excommunicatus, quia tunc possessio est pro decreto. Omitto alias illationes, quas ordine Alphabeticæ-Moralis, arduo sunt labore digessit P. Tamburin *cap. 3. §. 6.* decidendo plures casus, pro quâ parte stet possessio. Vide de etiam P. Moyam *tom. 1. tr. 2. d. 1. qu. 1. n. 23.* & P. Muncii *d. 30.* de Incarn. & Euchar. à n. 36. qui rite solvit difficultatem illam, an qui auditâ duodecimâ noctis manducavit carnem, poterit auditio alio tardiori hominibus communicare die Dominicâ; necnon P. Bardi *discept. 5. & 6.* de Consc. ubi late trahit omnes materias.

Dices 2. Datur lex reflexa cavendi homicidium dubium, ut vitem homicidium formale materiale; ergo etiam lex reflexa non violandi legem materialiter, ut accidit, quoties ago contra legem, de cujus existentia dubito. Concedo antecedens, & nego consequentiam; quia malum, ob quod prohibetur homicidium, est etiam in solo homicidio materiali: ergo merito datur lex reflexa vetans occidere, quoties dubito esse hominem. Econtra malum, quod timetur in violatione alterius legis dubiæ, non est violatio materialis, alias nec error invincibilis, nec opinio probabilior excusaret à peccato operantem contra legem existentem, in vincibiliter, aut probabiliter ignoratam: sed est formalis violatio

latio legis; hæc autem vitatur, si prudenter judicem legem non existere; si autem probabilius iudicem tale objectum non esse hominem, non vito injuriam gravem proximi. Addo 1. quod lex universalis reflexa servandi omnem legem dubiam foret durissima; homo enim plerumque exponeretur violationi formalis legis: ergo congruum est non dari; de quo plura P. Perez. Addo 2. quod sicut non datur lex reflexa vitandi omnem errorem materiale, alias nulli nisi evidenti assentiri possem; ita nec omne peccatum materiale.

N. Objicies 6. ex Philal. qu. 7. pag. 154. quod possessio in materia iustitiæ tollat omne dubium de honestate actionis, quia verè est talis possessio; at possessio libertatis nec in materia iustitiæ, nec aliarum virtutum tollit dubium de honestate actionis, quia talis possessio verè non est, sed est possessio obligationis. Subdit hanc distinctionem bene tenendam, quia diu ipsum vexavit, ut intelligeret, sed tandem cum Dei adjutorio attigisse. Confirmat; nam a pag. 149. concedit, possessionem non tantum tenere homini in materia iustitiæ, sed etiam aliarum virtutum: negat tamen pag. 150. dari in homine possessionem libertatis moralis, et si detur possessio libertatis physicè sumptæ. Ratio est; (at) quia in dubio de actione licità in qualibet materia cujusvis virtutis, humana libertas est obligata non agere illicite, et si possit physicè agere, & sic non est in homine possessio moralis in voluntate, immò est jus, & obligatio non agendi. Probat hoc; quia in dubio practico, an actio A sit licita, est obligatio moralis, quæ tollitur moralis libertas voluntatis ad utrumque: sed in dubio licità actionis semper durat dubium practicum; ergo in dubio licità actionis est obligatio moralis; ergo non est moralis libertas voluntatis, sed obligatio est in possessione. Maiorem aut esse omnium apud P. Sanch lib. 1. Sum. cap. 10. minorem probat; quia iudicium practicum sequitur motivum objecti; sed durante dubio licità actionis ex parte objecti ob æqualitatem rationum, objectum perseverat cum motione dubiæ; ergo durabit iudicium practicum dubium.

N. Sed contra 1. quia Phil. non attingit veritatem, tum quia videtur tradere contradictoria; tum quia, dum docet possessionem in materia iustitiæ tollere dubium de honestate actionis, quæro de quâ possessione loquitur, an de possessione libertatis; & tunc dicit contradictoria, nam immediatè subdit, Possessio libertatis nec in materia iustitiæ tollit dubium de honestate actionis; an de possessione

rei? tunc autem quæro, cur possessio rei tollat dubium de honestate actionis in materia iustitiæ, possessio autem libertatis physicè non tollat dubium de honestate actionis in materia aliarum virtutum? Contra 2. quia iterum sibi contradicit; quia retinens rem, quam possidet, non peccaret, nam possessio rei in materia iustitiæ tollit dubium de honestate actionis. Rursus peccaret, quia possessio libertatis, (intellige moralis) nec in materia iustitiæ tollit dubium de honestate actionis: quare vel possessio nequidem in materia iustitiæ facit honestam actionem; vel si hoc facit in materia iustitiæ, etiam in materia aliarum virtutum.

Ad confirm. dico ad summum probare, quod intellectus directè dubitet, & suspenderit omne iudicium directum de licentiâ actionis; non autem probat, quod non adit iudicium reflexum evidens de licentiâ actionis, quatenus reflexè evidens est licere actionem, de quâ dubito, num sit licita; etenim omne non certo verum est licitum. In forma dico intellectum manere directè dubium, usquedum accedat voluntatis imperium, quo posito, assentiri potest parti æquæ, aut minus probabili, ut sæpe dixi.

## S. III.

Quia concipi non potest ex motivo minus probabili iudicium certum.

## S U M M A R I U M.

Candidus negat esse probabile, quod utraque opposita sit vera, n. 200.  
Esi probabile non sit, quod utraque sit vera in re, est tamen certum, quod utraque sit probabilis, n. 201.  
Dicit insolubilem Antiquorum rationem, quod quoties utraque est probabilis, repugnet bonæ fides, quin tunc possessio stat pro obligatione, n. 202.  
Solvo, & duplicem confusionem ostendo, n. 203.  
204.  
Potest quis obligari, ut doceat minus sibi probabile, n. 205.  
M. Mercorius ait, quod certitudo facile concipi possit ex principiis reflexis; & negat probabilem esse rationi consonam, & ignorantiam ei insitam esse invincibilem, n. 206.  
Dubium, & formido peccati non sunt idem, n. 207.  
Opinio probabilis est certa, per nos, certitudine excludente omne peccatum, num. 208. 209.  
210.  
Aut conscientiam tunc esse dubiam, n. 211.  
Eius contradictio, n. 212.

Bbb

Etsi

Tom. II.

*Etsi motiva probabiliora stent pro falsitate, non tamen tollunt probabilitatem, nec ob illa assentior minus probabili, n. 213, 214.*  
*Aut, quod si certa probabilitas certificat conscientiam, repugnabit conscientia dubia, n. 215.*  
*Solvo, ibid.*

N. 200. Philal. **O**bjicies 1. ex Philal. in fine, corollario 2. pag. mihi 169. Ideo nemo operari potest cum dubio de peccato, quia ad non peccandum necessaria est fides de non peccato: sed quoties utraque contradictoria est æquè probabilis, nemo talem fidem habere potest: ergo &c. Minor probatur; quia quoties utraque pars contradictionis est probabilis secundum aliqua motiva, puta, quod actio A sit licita, & non sit licita, non potest utraque generare iudicium probabile de veritate sui: ut enim evidens est utramque contradictoriam non posse esse veram, ita non est probabile, quod utraque sit vera: ergo non potest utraque generare iudicium probabile de sui veritate, sed tale iudicium necessarium est, ut licitè operemur: ergo &c.

N. 201. **S**ed contra 1. quia sequitur, quod non potero assentiri probabiliori, quia iudicium probabilius non est iudicium de veritate rei; quod si est, erit etiam tale iudicium probabile. Contra 2. quia nec potero sequi ullam ex æquè, aut non æquè tutis; ut enim habeam bonam fidem de securitate unius, non debeo habere bonam fidem de securitate opposita. Contra 3. quia hæc argumenta eo tendunt, ut sola evidentia satis, & necessaria semper sit ad operandum. In forma dico, quod utrumque motivum generare possit iudicium probabile de sui verisimilitudine, & licentiâ; utraque enim contradictoria est probabiliter vera, ut supponitur; ergo utraque apparet licita, licet non sit probabile utramque esse speculativè veram: id est, utraque habet gravem veritatis apparentiam, etsi utraque non habeat veritatem. Possum ergo reflectere supra probabilitatem, seu veritatem ut probabilem utriusque, & formare iudicium, quod liceat: ut enim non peccem, non est necesse, ut iudicem certò veram, sed ut iudicem probabiliter veram; possum autem evidenter iudicare, quod utraque sit probabiliter vera. Hallucinatur ergo Candidus, dum putat veritatem, ut est in se, esse regulam, sive negativam, seu non peccandi, sive positivam, seu honestè operandi; est enim veritas ut nobis apparet, immò ipsa falsitas, ut apparet invincibiliter veritas, est regula conscientia. Sicut ergo, juxta Candid. falsitas vestita probabilitate, aut tutioritate est satis ad formandum iudicium reflexum, (si

hoc necessarium est) nempe quod liceat sequi, juxta Probabilioritas, & Tutioritas, probabilis, aut tutius, etsi in re falsum sit hoc est probabilis, aut tutius; ergo licet hoc sequi: ita per nos licet sequi probabile etsi falsum, dummodo appareat probabiliter, seu prudenter verum; sed tale falsum apparet prudenter verum; ergo licet.

**O**bjicies 2. ex Philal. coroll. 3. pag. 170. quod cum argumentum Antiquorum statutum pro probabiliori nondum appareat solutum, etsi a doctissimis solvi tentatum sit, hinc pro necessitate sequendæ magis probabilis, præcipuè si sit magis tuta standum est. Argumentum autem est hoc: Ad honestè operandum requiritur iudicium probabile de honestate actionis; sed tale iudicium haberi non potest de utraque contradictoria, nempe, *Honestum est A, Honestum non est A*, quando utraque est æquè probabilis, & multò minus, quando utraque est probabilior, ergo Minor probatur; quia in hoc secundo casu haberi tantum potest de probabilioribus primo de neutrà; tunc enim manet conscientia æquilibris, ut loquitur Gerion, seu dubia, conscientia autem dubia non admittit iudicium probabile de honestate actionis, necessarium juxta omnes ad rectè operandum; nam stantibus equalibus motivis contrariis pro utraque contradictoria, non possunt de utraque formari duo contrarij probabiles assensus se invicem excludentes, & multò minus stantibus inæqualibus motivis; ergo ex defectu talis iudicij, *Licetum est A*, nos non possumus neutram ex æquè probabilibus, & multò minus possumus minus probabilem deducere ad praxim. Post hæc transit ad impugnandas responsiones P. Valquez, Sanch. Palao tom. 1. d. 2. volentem posse intellectum, suspensò assensu circa probabilis, assentiri deinde minus probabilis ex imperio voluntatis. Contra enim est; ut Philal. pag. 173. quia sequeretur, quod intellectus tunc non iudicaret, quod sibi videtur verum, nam assentitur minus vero, & tale iudicium esset imprudens. Subdit pag. 175. quod minus mali diceret, qui diceret utramque opinionem non esse opinabilem, utramque tamen esse prudenter eligibilem: quod ipsum postea impugnat, tum quia ait, quod in æquè probabilibus de licito, & illicito, intellectus manet dubius, an actio A liceat, aut non liceat, & cum tali dubio nemo procedere potest ad honestè agendum: tum quia, si utraque est probabilis, non potest deponi dubium; nec ex eo quia melior est conditio possidentis; hoc enim intelligitur de possessione rei, non autem libertatis, immò

immò possessio non est pro libertate, sed pro obligatione omittendi actionem: sicut enim non ob aliam rationem nemo potest operari cum dubio practico de licentia actionis, sed tenetur omittere, quia tunc operaretur aliquid, quod non magis apparet licitum, quam illicitum; ita quoties æquè cognoscitur licitum, ac illicitum, datur obligatio desistendi: ergo possessio est pro obligatione desistendi. Hinc concludit, quod cum hoc argumentum videatur sibi insolubile, forte nostra sententia non manet probabilis.

N. 203. Sed contra; quia siquid valet argumentum, probat ne quidem probabiliorum minus tutam, immò probabiliorum tutiorem, & multo minus alterutram ex æquè tutis me sequi posse, cum tamen hæc omnia admittat Candidus, cujus loca dedi d. 10. n. 77. Non potero sequi probabiliorum minus tutam, quia haberi non potest iudicium de utriusque contradictoriae securitate, & multo minus de minori securitate opinionis probabilioris. Non potero sequi probabiliorum tutiorem, quia non potest haberi iudicium probabiliorum de honestate, & iudicium de maiori securitate; resistit enim probabilitas, & securitas objectiva alterius contradictoriae; ut enim per Candidum haberi non potest iudicium probabile de honestate utriusque contradictoriae, ita neque de securitate utriusque contradictoriae. Non potero sequi alterutram ex æquè probabilibus eque tutis propter eandem rationem: ergo totum argumentum ex triplici capite solvendum est ab ipso Philal.

Philal. N. 204. Deinde vide quam facili labore solvatur; nam concedo, quod ad honestè operandum necessarium sit iudicium probabile de honestate actionis: & distingo minorem: quoties utraque contradictoria est probabilis, non possum habere iudicium probabile de honestate actionis, saltem reflexum, nego; directum, subdistinguo: utrumque simul, concedo; divisim, nego minorem, & consequentiam. Dico igitur, quod quoties utraque contradictoria est probabilis, habere possum tum iudicium reflexum, tum directum: reflexum, quatenus habere possum hunc syllogismum: Quoties aliquid non certo constat esse illicitum, est saltem permittum; & si fiat ex recto fine, est honestum: sed quoties dubitatur de honestate, & inhonestate actionis, mihi certo non constat esse illicitum; ergo saltem est permittum, etsi fiat ex bono fine, erit honestum: sed ego hic, & nunc dubito invincibiliter, an liceat ex. gr. cambium recurrere; ergo si illud ineat, honestè inietur. Directum, Tom. II.

non quidem concipiendo duplex iudicium directum, *Actio A licet, actio A non licet*, sed unum, assentiendo magis, aut minus, aut æquè probabili; immò etsi objecto minus probabili assentiar, non ideo non assentior vero putato; assentior enim, esto non assentiar objecto putato magis verosimili. Ubi nota, quod non repugnât simul hæc duo iudicia, *Judico unum tantum ex contradictorijs esse in se verum, & judico utrumque probabiliter verum*: neque enim dico, *Probabiliter judico utrumque verum*; sed dico, *Judico utrumque probabiliter verum*, ita ut probabiliter cadat supra objectum; id est, judico utrumque probabile, seu verosimile: ut autem honestè operer, non est necessaria veritas, satis est gravis verosimilitudo, ut etiam testatur Candidus; cum hæc differentia, quod Philal. ipse vult nos teneri ad verosimilius, quod nos negamus; numquam enim daturus erat nobis legem obligantem ad prudentius operandum. Quare insolubilitas oritur ex duplici confusione; una est similitatis probabilitatis cum probabilitate similitatis, cum candido admittimus, hanc cum eodem negamus; esto Candidus sæpe ab unâ ad aliam mutuo transeat. Altera est probabilitatis, & probabilitatis cum veritate, quæ toto Cælo distant. Non immeror in aljis, soluta enim sunt d. 8. & iterum infra solvantur.

Dices: Nemo licitè docet in Scholis id, N. 205. quod verosimilius apparet falsum: ergo nemo licitè id practicat. Nego antecedens, quod non tantum est falsum, sed certo falsum; immò ad hoc cogi potest; & sæpe Doctores, qui aliorum theses frequenter defendunt, quas probabilius falsas putant, hoc licitè faciunt; immò si quis aliquam D. Thom. opinionem putet falso similiorem, potest juramento adstrictus eam defendere; esto enim appareat ipsi minus vera, adhuc tamen habet fundamentum sufficiens pro veritate in re, quantum ipsi apparet; & sæpe ingenio valentes, ne in absurda descendant, & singularia sectentur, obligari possunt, ut sequantur opinionem communem, quam ipsi minus veram putant. Vide P. Teril. de P. Teril. Reg. mor. qu. 2. n. 33.

Objicies 3. ex M. Mercor. 1. p. art. 4. pag. N. 12. Iudicio probabili de honestate vitæ formido peccati: ergo adest ignorantia vincibilis. Consequentia probatur; quia tunc sequitur iudicium, de quo dubitat, an sit erroneum; ergo non excusat à peccato. Confirmat 1. p. art. 14. pag. 39. quia cum facile haberi possit certitudo moralis de honestate saltem ex principijs extrinsecis, seu ex auctori-



potius Tutorista. Sequitur secundò ne quidem nos sequi posse probabiliorem, quia tam intellectus dubitat, quoties adfunt motiva aequalia, quam quoties adfunt inaequalia; & quia dabitur tunc in intellectu, tum certitudo moralis de honestate, derivata à probabilitate, tum certitudo moralis de non honestate orta à minori probabilitate; immò si opinio probabilior sit minus tuta, dabitur simul certitudo moralis de honestate orta à probabilitate; & certitudo moralis de non securitate, quia est minus tuta. Ad do sibi contradicere, nam ut dixi d. 10. sect. 3. §. 3. nullus trahit tot motiva extrinseca, à quibus opinio minus probabilis certificetur, quot trahit M. Mercorius: ergo deponi potest dubium per syllogismum reflexum ijs motivis nixum. In forma nego antecedens; ad probationem dico intellectum esse dubium utquedum à voluntate determinetur; & nego consequentiam; ad hujus probationem dico dubium deponi potest tum per allatum syllogismum reflexum, tum per assensum directum probabiliorem, aut minus probabilem. Ad 1. replicam dicam infra, quòd omne iudicium certò probabile sit per se ipsum formaliter certum certitudine excludente omne peccatum. Ad 2. nego suppositum, supponit enim, quòd habens iudicium minus probabile de honestate, simul habeat iudicium probabilius de non honestate, quod implicat.

N. Dices ex eodem: Opinio minus probabilis, stante probabiliori, non tantum habet annexam formidinem de opposito, quin habet contra se motiva suadentia esse falsam; ergo non potest esse regula conscientiae. Confirmat; quia opinio minus probabilis, stante probabiliori, non est probabilis, nam est probabilis probabilitate impedita ab opposita: ergo intellectus tunc non potest assentiri.

N. Sed contra; quia M. Mercorius, cujus loca dedi d. 10. sect. 3. a. n. 77. docet amplectendam minus probabilem, si tutior sit: ergo tenetur solvere argumentum: immò nec poterit intellectus assentiri probabiliori, quia haec etiam habet formidinem, est enim incerta; & habet contra se motiva suadentia esse falsam. In forma concedo antecedens, & nego consequentiam; quia motiva illa licet suadeant esse falsam, non tamen tollunt ab ea gravem verosimilitudinem; ut autem quis rectè moraliter operetur, non est necessè, ut sequatur verum, nisi sit certum, sed fati ubi est incertum, ut sequatur, quod apparet graviter verum. Ad confirm. nego antecedens ut dixi d. 8.

Tom. II.

Infitas ex M. Mercor. 2. pag. 96. Si probabilitas reflexè cognita in opinione minus probabilis est medium certificans conscientiam de non peccato, numquam daretur casus, in quo quis operaretur cum conscientia dubia, nam hæc non datur, nisi detur ex utraque parte probabilitas. Sed contra, tum quia ea datur etiam, quando ex neutra parte datur probabilitas; tum quia datur, quoties non tollitur dubium per assensum directum, aut non accedit novum principium reflexum, quo dubium deponatur.

SECTIO IV.

Quia physicè, & licitè intellectus nequit opinari minus probabile.

§. I.

Primò, quia intellectus opinaretur contra inclinationem.

SUMMARIUM.

- Aliqua ex dictis, n. 16. & 17.
- Candidus negat esse in nostrà manu opinari, & intellectum posse minus probabilem opinari veram, à n. 218. ad 221.
- Omnia retorqueo, n. 222.
- Esti utraque judicari non possit vera, potest tamen utraque videri vera, n. 223.
- Recito verba Candidi de similitate probabilitatis, ibid.
- Potest intellectus assentiri minus probabili, n. 224. 225. 226.
- Ait cum Fagnano, & M. Gonet. intellectum inclinari ad verum, n. 227.
- Ostendo ex peccato iudicij temerarij, & infidelitatis non esse contra intellectus inclinationem assentiri minus vero, n. 228. 229.
- Candidus ex S. Tho. ait reclamare conscientiam; & ex edicto Theodosij sequendos plures, & pleraque suffragia, & quod consilium pauciorum sit plerumque falsum, n. 230. 231. 232.
- Ab eo solvenda, n. 234.
- Candidus debuisset potius negare suppositum, quòd liceat minus probabilis prasente probabiliori, quàm eo admissò, negare usum, ut fecit Celladei, n. 235.
- Quantum Adversarij ad invicem opponantur, ibid.
- Multipliciter urgeo, cur minus tuta, prasente tutiori, maneat tuta; non autem minus probabilis, prasente probabiliori, maneat probabilis, n. 236.
- Affero robustiora Contrariorum argumenta, & ostendo omnia ab illis solvenda, num. 237. & 241.
- Nulla datur lex sequendi sapientiores, n. 238.

Bbb iij Nostra